



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 120. Fœdus inscio Rege cum Helvetiis a Trimollio initum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

ſæcul. XVI.
A. C. 1513.

muri pars dejecta, cunctaque ad impressionem parata essent; opportuno tamen tempeſtatis beneficio factum, ut ineunte Octobri plaviæ accessum nimis lubricum redderent; quapropter irruptionis discrimen in aliam diem differre decretum. Ast ubi Helvetii intelligebant, quod Cæſar ulterioris moræ, qua Angliæ Rex juſſa dare cunctabatur, pertæſus cum exiguo ſuorum comitatu recessiſſet, ac nonniſi ad interiora Germaniæ perveniens ſubiſtiſſet, hinc illi ſegni duntaxat brachio obſidionem urgebant, reliquum temporis ſpacium colloquiis cum Udalrico Duce habitis terentes. Trimollius interea comperto Cæſaris diſceſſu, ejus abſentiam in rem ſuam vertere ſatagebat, cumque per Divionis jacturam non modo Burgundiam, ſed totam quoque Franciam extremo periculo exponi proſpiceret, ut tantum malum averteret, muneris ſui eſſe arbitrabatur: unde haud expectato Regis mandato, quod forte nimis tardum pertimeſcebat, conſilium excogitavit, quo etiam feliciter hanc Provinciam ab exitio exemiſit.

§. CXX.

Fœdus inſcio Rege cum Helvetiis a Trimollio initum.

Ergo cum Helvetiis de concordia agit, ſancitiſque aliquibus articulis polli-

Hift. Eccleſ. Tom. XXXII. N n cetur,

Sæcul. XVI. cetur, se illis, si ab obsidione cessarent,
A.C. 1513. quadringenties aureorum millia numeraturum, cujus etiam summæ viginti millia quantocius exsolvit, residuæ vero partis sponsores oppidodivites dedit. Equidem Udalricus, ejusque Belliduces huic negotio vehementer obluſtabantur, at filere jussi sunt; quippe Helvetii illorum rationibus post Cæsaris discessum, quem fugæ loco habebant, minime cedebant, sed cum Trimolio inducias paciscebantur: Promissæ autem pecuniæ sponsores nominabantur Ludovicus Andegavensis, Mezierius, Franciscus de Rupifortio Franciæ Cancellarii frater, necnon quatuor Divionenses cives inter ceteros magis conspicui ad Helvetiorum arbitrium seligendi. Præterea Helvetii a Rege Ludovico postulabant, ut cunctis suis juribus in Mediolani & Genuæ Ducatus, necnon in Astæ Comitatum tam pro se, quam successoribus suis publico, eoque legitimo instrumento nuncium mitteret, atque eadem jura in Maximilianum Sfortiam transferret: Verum Trimollius cedendi facultate destitutus, postulatis acquiescere renuit.

§. CXXI.

*Helvetii soluta Divionis obsidione
 recedentes.*

Nihilominus vehementer hisce articulis
 Trimol-